ASTESANUS DE AST

Saalfelden/Salzburg, 1471-1472

Seite 64r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8377
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



tempore in altera specie si eis daretur sub utraque. Sicut patet de eo cui exivit sanguis de hostia qui non credebat quod sanguis ibi esset. Datur etiam populo in specie panis et non vini propter periculum effusionis vitandae. Ad significandum vero sufficit populo quod conficiatur in utraque specie in cuius presentia communicant. Tamen in quibus non timetur periculum effusionis nec erroris potest sub utraque specie dari ut dicit Rich. Non tamen secundum Bon. 4° sententiarum dist. 9 q. 2. Utrum species sit de integritate sacramenti. Dicit quod hoc sacramentum est eque efficax in altera specie sicut in utraque. Postea supra eadem dicit quod ipse credit quod sanguis additur ad efficaciam. Aliquando dicit etiam immo quod ipse non reprobat consuetudinem Cysterciensium et quorundam aliorum qui post sumptionem sanguinis et corporis Christi dimittunt ibi aliquid de sanguine ut infundant vinum purum et postea communicantes aliud possint inde sumere. Ego autem puto quod non sit faciendum quia vinum additum secundum aliquos adusque illius speciei continuitatem solveret et sic Christi sanguis ibi esse desineret ut habitum est supra. Si obiciatur contra predicta illud Ioh. 6°: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis sanguinem eius etc., dicendum quod sub utraque specie corporis manducatur et sanguis bibitur in re licet non in signo expresso. Vel dicendum quod intelligitur de manducatione spirituali. Si dicatur quod etiam in ecclesia Grecorum instituta per Paulum traditur sub utraque specie, dicendum quod licet illi benefaciant latini tamen melius faciunt ratione superius dicta. Utrum hostia intincta in sanguine debeat populo dari. Respondeo quod non, de con. dist. 2. Cum omne. Hoc ratione tangit Hugo 2° libro de sacramentis per octo capitula. Et quia in quadam dominus proditori suo buccellam panis intinctam ad denotandum eum dicitur, habet consuetudo ut corpus Christi fideles intinctum non accipiant. Non tamen est intelligendum quia Christus illam buccellam in sanguine intinxerit sed in succo lactucarum agrestium cum quibus edebatur agnus secundum legem.

Sequitur de quarto videlicet quibus dari debeat corpus Christi et quibus non debet dari. Circa quod queritur primo scilicet utrum presbyter peccet qui scienter dat corpus Christi existenti in mortali peccato. Respondeo aut talis non petit eucharistiam sibi dari et tunc presbyter peccat in dando. Aut petit et tunc aut suum peccatum mortale est manifestum aut occultum. Si manifestum tunc scilicet presbyter sibi dando peccat quia contra ipsum exceptionem legitimam habet quam sibi